Conjugibus novis,
iisq;
Piis, Honestis, nec magis ævo,
quàm Virtute florentibus,
Juveni-Viro
Doctissimo, Ornatissimoq;
DN. JOHANNI Baudeman/
Magnifico, Amplissimo, Nobilissimoq;
Senatui Vratislaviensi
ab Expeditionibus Cancellariæ,
SPONSO:
& Honestissimæ, Pudicissimæ, Lectissimæq; Virgini,
CATHARINÆ,
Viri Præstantissimi, Consultissimiq;
Dn. PAULI NEANDRI,
Advocatiæ Vratislav. Præfecti Laudatissimi,
Filiæ Dilectissimæ,
SPONSÆ,
a. d. 6. Non. Octobres, Ann. cIↃ IↃc XLVI.
legitimo matrimonii nexu copulandis,
non minùs nuptialem hunc honorem ac lætitiam
candidè gratulantium,
quam felicissima quæq;
ex animi sententia
optantium pariter & precantium,
Affinium, Amicorumq;
CARMINA EPITHALAMIA.

Ibi exscripsit GEORGIUS BAUMANNUS.

JANUS BAUDEMAN & CATHARINA NEANDRIA,
Sponsi,

Accedunt aras, Magne JEHOVA, tuas,
Ut conjungantur divinâ voce Ministri,
Et consecrentur Conjugii statui,
Quin & Mysta sacer, super ipsos, pectore fido,
Devotus fundat vota precesq; pias,
Quò fluat, in thalamos, Benedictio dives, eorum—,
Et gratâ vireat fertilitate Domus.
Nobile Par hoc in Divam, comitarier Ædem—,
Mens fuit, & votis jungere vota precum—:
Sed certâ ratione, domi mansisse, necessum—;
Nec tamen à Festo hoc prorsus abesse velim—.
Scilicet Hospitibus pia vota ferentibus addo
COR, isthæc plenâ serietate vovens:
Autor, JHOVA, Tori princeps, & Maxime Fautor,
Clementis latè climata pande poli,
In thalamos & BAUDMANNI largissimus infer
Omnigenas vegetæ prosperitatis opes,
Quas charus SPONSI Genitor, chariq; Parentes
SPONSÆ, de patrio corde precantur eis!
Gaudebit sic Pace *DOMUS, COR* Amore, Salute
MEMBRA, Fide *MENS, &* Prole *virente TORUS.*

ANDREAS ECCARDUS
Pastor Namslavienſis.

Nemo

Nemo æquè properus toto comparuit anno,
Edicto Soceri, Sponſe, citante reos;
Ac vocitatus EGO, charâ cum conjuge vellem
Spectari Gamico pars quotacunq; Sacro.
Velle nihil prodeſt, cum non ſufflaminet una
Utrumq;, & jubeat, cauſſa, manere domi.
Et maneamus, ita, ut vel vota abſentia cœlo,
Juxta ea, quæ præſens fuderit Hoſpes, eant.
Nempe meus paries reſonare docebitur antè,
Quàm pia, pro Veſtrâ, pócla, ſalute, bibam:
Et Baudemanno DEUS, & largire Neandræ,
Fortitèr usq; novos ædificare Viros.

Breve ſed ſerium votum,
teſtandi affectus cauſſâ,
deproperabat
PAUL-CHRISTOPHORUS LINDNER.

Anagr.
JOANNES BAUDEMANNUS
EN MUSA, EN DIANA BONUS.

EN MUSA BONUS, EN bonus es, Neonymphe, DIANA:
Artem ea dat, Sponſam aſt hæc tibi perſeqvitur.

Chronodiſtichon Votivum.

IanVs BaVDMannVs, CatharIna NoVoVIra, grato
sponsI, opto, VIgeant atqVe toro VIreant!

Ad Sponſæ Parentem,
Amicum intimum.

Ordo ſacer primi, *cata Juridicina* ſecundi,
Et dedit, & Generi dat tibi, PAULE, decus.

Lege,

Lege, *Facultatum* ſi *cætera nomina*, tali,
Et porrò fuerint viſa favere tibi;
Qvid reſtat, niſi qvæ nunc annis junior, olim
Ut *medico* nubat tertia Nata *Viro*:
Et Tibi qvarta etiam naſcatur Filia, poſſis
(Seriùs hoc qvamvis) ut ſocer eſſe *Sophi*.

Tuæ Filiæ, Maritoq; Ipſius,
qvibus jam tempus eſt
fortunatos infeliceſvè fieri,
conjugium hoc bonum fauſtumq; evenire,
corde cupiens, ſcribeb.
M. ELIAS MAJOR P. L. C.
Gymnaſii Vratislavienſis Eliſabetani
Rector & Profeſſor, cæterarumq;
ibidem Scholarum Inſpector.

JOHANNES BAUDEMANUS
per Anagrammatismum:
NON VADIS, NAVEM HABES.

*
CATHARINA NEUMANNIA
per Anagrammatismum:
AH MANNA VENIT CARINA.

Enodatio.

Per tumidum veluti pedibus non vadimus æquor;
Sed Navibus tunc utimur, ceu curribus:
Hac ratione poteſt nemo benè vivere vitam,
Ni Nave ſe muniverit lectiſſimâ;
Hoc eſt, ni Sociam vitæ quæſiverit, undis
Incommodorum volvitur quàm plurimis.

Nam

Nam si fortè tonat ſævis fortuna procellis,
Virumq; cingunt cura, morbus & dolor,
Ægro qui poſſit, non eſt, præſtare juvamen,
In fluctibus relinquitur ſtrepentibus.
Qui verò lepidâ cum Conjuge tranſigit ævum,
Hanc Navis inſtar eſſe certò comperit.
Ipſe Davidiades, quô non ſapientior ullus, Prov. 31. v. 14.
Navi probatam comparavit Conjugem.
Ut largitur opes ventis famulantibus acta
Mercesq; Navis advehit pulcherrimas:
Commoda ſic præſtat, millenaq; præmia confert
Uxor fidelis, & DEUM quæ diligit.
Hæc operâ cellam ditat, vacuamq; culinam,
Eſt occupata maximè negotiis.
Turbida ſi vexent interdum fata Maritum
Amplectitur ſuis eum lacertulis,
Alloquioq; piô reficit, ſolatia menti
Infundit, & monet ſuâ prudentiâ,
Subvenit, aſſiſtit, vigilat, vigilando miniſtrat.
Uxor Smaragdis præferenda ſplendidis.
Hinc fortunatum Te judico, terq; beatum,
O BAUDEMANNE, Adfinis optatiſſime;
Per vada NON VADIS *curarum ſcrupea,* NAVEM
Ejusmodi jam nunc habes ditiſſimam.
Nempè Tibi CATHARINA *datur, puriſſima Virgo,*
Ut ſit per omne tempus adjutorium.
Hæc adportabit magnô cum fœnore gazas,
Virtutibus recreabit & Te vividis.

Omnes

Omnes propterea tecum lætamur Amici,
Et gratulamur ore, corde, carmine.
Dicimus: AH tua MANNA VENIT, *dulciſſima Manna,*
Venit CARINA, *Nave Virginea venit!*
Noctes atq; dies hæc Te ſaturabit amore.
O fiat! ô pereant amaritudines!
Ipſe licet cunctos reſeratis Æolus antris
Emittat Auſtros, & furentes Africos,
Tu tamen hanc, ô chare DEUS, ſervato Carinam,
Ne fluctibus prematur adverſantibus;
Et noſtro largire manu tot gaudia Sponſo,
Arenulas quot habet mare, quot & guttulas!
Tandem cum Navi CATHARINA, *ſuſcipe feſſum*
In cœlicum portum, pii quò tendimus!

Scriptum fauſtæ gratulationis
benevolentiæ & amoris ergô
à
M. ABRAHAM ECCARDO.
Diac. Namslav.

Würtembergiaci rata dum connubia SILVI,
Celſæq; Münſterbergicæ Viraginis,
Illuſtri ſcriptor Domui devotus utriq;
Stilo pedeſtri ferre conor ad polum;
Me petis officium par in tua Vota, *vel olim*
Mihi BAUDEMANNE diſciplinâ cognite.
Qualis Principibus grator de compare ſorte,
Et de ſalute mutuâ, & patrii ſoli:

Talis

Talis privatis benè grator mente jugandis
Æqualitatis præstitutum terminum.
Alter in alterius ruit, & ruit altera in ulnas;
Uterq; sangvine erudito prodiens.
Indole nativâ pariles, vitæq; tenore,
Transitis in simillimum Vobis genus.
Quod voveo *Patriæ* grataṅti voce *Dynastis*,
Ut ex novellis Candidatis Conjugi.
Münsterbergiacæ Domui plantaria primùm,
Dein *fulcra nostræ* pullulent provinciæ:
Apprecor id vobis, pro censûs sorte minori,
O Candidati Liberales Conjugi;
Ut vestro veniant generi longo ordine nati,
Bonas ad artes aut togæ, aut dociles fagi.
Carolus ut Fridericus ad hæc nova nuncia plau-
Ex filiâ quòd unicâ natus nepos: (det,
Imò tota suo sopita Silesia luctu
Orto recenti fidere attollet caput.
Sic *Socer* ille tuus Judex Themidosq; patronus
Sub vesperascens lucis hoc crepusculum,
In tacito secum gremio lætabitur olim,
Viso nepote plurimo, spe suæ domûs.

Præcipiti quidem calamo
amico tamen animo fudit
Christoph. Colerus.

Baudemanne, politior Themistos,
Et Phæbi genuina jure Proles;
Tuq;

Tuq; largâ Aretes beata dote,
Baldo Jura peritiùs perito
Docti, Filia congener Neandri,
Flexidextra Polymniæ Propages,
Quis parcat benè-prorsus ominatis,
Inter vestra Hymenæa Festa, Verbis?
Omen Nomina continent secundum,
Et cognomina, quando pensitantur.
Te suis Manibus polire jussæ
Gratiæ, voluere gratiosum.
Dici primitus, & per omne tempus
Vitæ flexilis *Esse* gratiosum.
Gratiam Catharis meretur omnem,
Quæ Nomen Catharis, suave Nomen,
Dignâ Virgine Puritate Cordis,
Constanti studio studet tueri.
Qualis cum Catharis Tibi jugatur,
Annon Gratia Gratiæ jugatur?
Annon omine præmonente, Fatis
Vos dicam melioribus jugari?
Nec Cognomina pensitata fallent
Promtos ominibus juvare vestras,
Juxta Vota Patrum parata, Tædas.
Quæ Neandria dicitur, resignans
Hoc Nomen Tibi, conjugata gaudet,
Te quod Sponsa facit *Novum Maritum*.
Sed Tuum Sibi vendicare Nomen
Læta, non renuet deindè dici

BAUDEMANNIA. Nempè SE *Tabernam*
Dilecti profitebitur *Mariti*,
In quâ veneat, ut lubet liceri,
Casti non temerata Merx Amoris.
Mutuos igitur volunt Amores
Vos Cognomina; Gratiamq́; multam
Spondent Nomina, quâ DEO placere,
Posſitisq́; HOMINUM placere GENTI,
CONJUGES, quibus expleatur omne
Votum Conjugii beatioris.
VOBIS illud ut expleatur omne
Votum Conjugii beatioris,
Comprecor, benè-prorſus ominatis,
Inter veſtra Hymenæa Feſta, Verbis!

Veſtræ Feſtivitati
optimè cupiens

M. VALENT. KLEINWECHTERUS.

Prolixiore non licet nunc ambitu
Referre, tædis quæ tuis paraveram,
Collega amice; Sed velut breves preces
Perſæpe cæli texta penetrant fortiùs,
Quàm longiùs deducta verborum mora:
Sic fida voti ſerii compendia,
Suppliciaq́; imis pectoris receſſibus
Repetita, teſtabuntur hunc animum ſatis.

Tibi

Tibi Tuæq́ cuncta Cælum depluat,
Quæcunq́ bona ſunt, quæq́ vos precamini:
Thalamum beata Pax coronet, & recens
Proles ſubindè numeret annos Conjugi!

Exoptatiſſimo Collegæ
ita gratulab.
MATTHIAS MACHNERUS,
Reipubl. Vratiſl. ab expeditionibus Latinis, & in Judiciis Eccleſiaſtico ac Orphanor. Notarius.

INter gratantes ne ſolus Aſymbolus eſſem,
BAUDMANNE, ingenio vix obiture meo.
Ecce Thaleîa Tibi pepigit tria diſticha SPONSO,
Gratâ, ſi lectu digna, capeſſe manu.

* * *

SI qua TABERNA VIRI ſit tutum Uxoris Aſylon,
PURA VIRI, contrà, ſi CATHARINA, DOMUS.
Omine non meliore, puto, Vos CORCULA, jungi
Poſſe, nec & meliùs Nominis Orſa dari.
Ergo DOMUM benè Sponſe regas, gere Sponſa TABER-
Sic reget Uxorem Vir, geret illa Virum. (NAM;

Bonæ ſcævæ E.
gratulabundus F.
JOAN. HENR. CUNRADUS.

Herr Vater seyd gegrüst; Fraw Mutter gute Nacht!
Ich muß numehr von euch / Hertzliebste Eltern / scheiden /
Und sol die strenge krafft der rechten Liebe leiden /
Weil es des Höchsten Rath und Ordnung also macht.
Doch weil numehr ihr mich und ich euch lassen muß /
So sag' ich billich danck: daß ihr / nechst Gott / das Leben
Mit Zucht und Erbarkeit mir hertzlich habt gegeben.
Euch sey dafür der Danck mit diesem treuen Kuß.
Mein Schatz nimmt mich nun an mit hertzlichem verlangen /
Und wil aus rechter Trew inbrünstig mich umbfangen.
Ich folg' ihm willig nach zu stillen seine Pein /
Zu lindern seine noth / und grosse Liebes-schmertzen;
Die er so sehnlich trägt; Ver spreche seinem Hertzen
Beständig und getrew biß in das Grab zu seyn.

Aus sonderbarer guter
Freundschafft von

Daniel Wolffen
Juris Studioso.

Nondum bis novies illuxit Cornibus Orbi
Phæbi Soror pulcherrima;
Nuberet Eccardo Soror ut mea maxima natu,
Et posceret Gamelion.
Nunc Catharina Soror sequitur socianda Marito,
De Baudemannorum satu.

Quid faciam Frater? Gratandum duco Sorori
Etiam secundæ Nuptias.
Grator, & auspicio felici jungere dextras,
Compar jugandum comprecor.
Sit Sponsus, Themidos non ultima Gloria, Cajus;
Et Sponsa Caja sit domi!
Vivant felices vivendæ Tempora Vitæ!
Et Prole multâ gaudeant!
Donec inoffensos tandem saturosq; Dierum,
Ferat Jehova ad æthera.
Hæc precor ex animô: Votum confirmet Iöva,
Tædæ jugalis Conditor!

Ita honoratiss. Dn. Affini
gratulabundus apprecatur

Paulus Neander
Jun.

Si Fonte Labra proluissem, Pegasus
Quem fecit alato pede;
Tuas studerem prosequi nunc Carmine
Perquam venusto Nuptias,
Præclare Baudemanne, Cultor Pallados,
Divæ Themistis Gloria.
Sed inficetum condo metrum, nescius
Dulcedinis Poëticæ.
Illam proindè Lubentiâ lubentior
Doctis Poëtis destinans,

Calentibus Pietate Numen cœlicum
Colam precationibus:
O præpotens Orbis Jehova Conditor,
Autor jugalis fœderis,
Sereniore, quæso, Lumine aspice
Par istud Igne fervidum,
Amoris Igne; prosperisq; floridæ,
Successibus sortis bea!
Concede, Mentes casta quas nunc Cypria
Castis adurit Ignibus,
Disjungat ut nil hoc in Orbis orbitâ,
Nisi sera Parcarum manus.
Da, sit Torus fœcundus, instar Vitium,
Uvas ferentum plurimas!
Istud precor: precationes optimus
Confirmet in cœlo Deus,
Sponsisq; præstet, faustiore sidere,
Faustas celebrent Nuptias!

CHRISTOPHORUS LERCHIUS.

BAUDEMANNUS
per Anagr.
NUBE, DA MANUS.

Dum, Neonymphe, paras socialia sacra subire,
Huicq; novo vitæ generi gratantur Amici:
Adjungit magnis tenuissima Musula votum;
NUBE, precor, fidæ, pietatem NUBE colenti;
Utq; sibi parilem promittere possit amorem,
Ipse MANUS Sponsæ DA veri signa caloris.

Primum hoc Anagramma mihi factum, qualicunq; versu elaborabam

JOHANNES DANIEL MAJOR
Vratislav.

Quamvis me spacio Natura coërceat arcto,
Ingenio Vires exiguasq; ferat.
Ne tamen in Votis desit conatus Amici,
Ut quæ pertenuis Musa valet, voveam.
Dextera quam Jovæ Tibi jungit Sponse, venustam
Sponsam, & Te Sponsum jungit Amore pari,
Adjungat Pacem, simul & felicibus adsit
Auspiciis Vobis, Conjugiumq; beet.
Et vos conjunctim, pia pectora, vivere faxit,
Nec desint casti Pignora grata Thori!
Sic opto, si quid votis placet addere majus,
Fac rata per Te sint cætera JHOVA DEUS!

Faustæ acclamat. E. accelerabat
CHRISTOPH. ECCARDUS
Namsl. Sil.

An
Hn. Johann Baudeman
und
Jungfrau
Catharinen Neanderin
zu ihren Hochzeitlichen Eh-
ren-Freuden
von
Einem der Tugend-begierigen
wolmeynend geschrieben.

CUM DEO.

Auff/liebes Paar / auff / auff! Ihr wolgetrauten beyde /
Kommt/komt/ die Tafel räumt/fangt an ein ander Freude.
Dann* Weinreich ist genung/und *Früchtinn' auch geehrt.
Der Euch den Wein/ und die Euch Bier vnd Kost beschehrt.
Auff/auff/ihr Jungfern auff! Man spielet euch zum Tantze/ *Bacchus.
Die Lieb ist schon bekräntzt mit einem Mirten-Krantze: *Ceres.
Ihr Söhnlein zünd't auch die güldne Fackeln an /
So lange biß die Braut wird gehn die Liebes-Bahn.
Es ist ein schönes Zelt von* Lachmund auferbauet / *Venus.
Bey dem man umb und umb die Liebes-Geister schauet.
Darinn die Liebe jagt / und da ihr Söhnlein hetzt /
Da manche Jungferschafft mit Pfeilen liegt verletzt.
Das Zelt / das schöne Zelt / ietzund wird auffgespannet /
Die Juno steht davor / die Eris ist verbannet /
Ihr güldner Apffel kommt der Braut alleine zu;
Hier ists / wo keusche Lieb / und Lust sich legt zur Rhu.
Geht / schöne Braut/ geht / geht / der Tantz ist nun verrichtet /
Den Bräutigam verlangt; das Bett' ist ausgeschlichtet /
Die süsse Federburg die wil euch nehmen ein /
Daß ihr zusammen mögt von Hertzen lustig seyn /
Wir stehen schon geschickt Euch beyde zubegleiten /
Und euer Liebes-Zelt mit Rosen zubespreiten.
Der Himmel gebe Glück/ damit ihr so schlafft ein /
Daß nach Neun Monden-Zeit wol drey erstanden seyn.